



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Barzaei Herovm Helvetiorvm Epistolae

Barzaeus, Johannes

Fribvrgi Helvetiorvm, 1657

4. Occupatio Aragou: & Turgouiae, atq[ue] Nobilitatis extinctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13014

I V.

A R G V M E N T V M.

Obtrectare solent imperiti, falso sed inani cauillo Heluetios efferis quondam armis, omniq; iure posthabito, terras Ducibus Habsburgo-Austriacis subiectas inuasisse, hodieq; contra ius & fas easdem occupare, celebres praesertim in districtu Argouiae, Turgouiaeq; Comitatus; Nobilissimas etiam familias, castella & arces, non nisi ab agrestibus Heluetiae colonis, furore barbaro, radicitus excisas. Contrarium haec Epistola proponit, calumniamq; ex classicis rerum Helueticarum Scriptoribus refellit, Guilimanno, Simlero, Stettlero, alijs, in annum 1308. & 1460. &c.

H E N R I C V S V E R D M I L L E R,
B E A T O V V I L H E L M O I M T H V R N,
à Gutenberg Scaphusiano.

De legitima possessione quarundam Heluetiae regionum.

Tolle animi scrupum. Tot scurras inter, & acres
Quos patimur Bauios: qui scommata montibus æqua

Euomitant, patriæque suum populantur honorem,
Obstruat effrenes quis digno polline buccas?

Dicitur elapsis tempestas Helueta seclis
Barbaricâ sæuisse manu, spretisque decoræ
Legibus Astreæ simul irritasse furentes

Euriq; Zephyriq; domos: nimiumque cruento
Accendisse unâ terrasque hominesque tumultu.

Dicimur haud paucas, quas Austria vendicat, urbes,
Efferi & indignis quondam inuasisse lacertis,
Iam quoque posthabitâ mixtim usurpare Themistâ.

Arguimur trufisse suis atrociter aulis,
 Tot comitum, tot clara Equitum, tot prisca Baronum,
 Tot generosorum, quos nutrijt Helueta tellus,
 Stemmata Nobilium; quin & petulantibus ausis
 (Turba quod AETNÆUM consuefcit ahenea fratrum)
 Euertisse omnes, in amænis collibus, arces.

Parciùs ista viri! Tanta inter plaustra Theonum,
 Prima ubi juratus sedet ad subsellia Momus,
 Pythagorea vagis sunt danda repagula linguis.
 Verba, logi, gerræ. Mutato nomine, verâ
 Quibit in auctores torqueri hæc fabula, famâ.

Nuper ad Austriacos *Argouia* & oppida, & arua
 Spectauêre Duces: sed quæ mutare suescit
 Præcipitem fortuna rotam, mutauit & ipsos
 Terrarum dominos: Et nunc *Argouia* diues
 Suscipit Helueticas, ex æquo & jure, secures.
 Contiguas, quod nemo negat, capere priores
 Heluetij, terras: sed quod fecere supremo
 Europæ imperio, factum quis dicat iniquum?
 Liuori proprium est virtutem arrodere, & istam
 Nec potes arreptâ naturam expellere furcâ.

Mille, quadrigentis, ter quinos addidit annos
 Fastorum numerus, quo tempore vidit in almo
 Fulgere Concilio lectos, *Constancia*, Patres.
 Austriacas tunc fortè tulit Fridericus habenas,
 Ille Sigismundi personam cælaris, ille
 Concilij sanas ausus contemnere leges,
 Improba sacrilegâ molitus prælia turbâ.
 Ille *Habsburgiaco* generatus sanguine Princeps,
 Tot regionum hæres, florenti *Argouia* & amplis
 Iura dabat terris: Sed eundem Cæsar, & omnes
 Concilij Proceres, ubi veræ Ecclesiæ apertum
 Cognouêre hostem; diplomate serio ad urbes
 Helueticas misso, compescere Marte rebellem,
 Idque loci positas, iussêre, inuadere terras.
 Sic volumus, sic iussa damus; sic Curia sacri
 Publica Concilij; sic concordantia magni
 Vota Sigismundi statumque, monentque, jubentque.
 Nec verò pactæ Vobis induciæ inanem

Inij.

Inijciant remoram. Iam jure utroque peritis
 Res decisa Viris, jubet illam è pectore curam
 Tollere, & indignos ulcisci Principis ausus.
 Ipsa hæc, magnorum præsens Legatio Regum,
 Concilij decreta probat. Sic ipse *Bohemus*,
 Sic è Sarmaticâ veniens tellure *Polonus*
 Annuit Orator: placet hæc sententia *Cimbro*:
 Legati hæc mens est, alio sub sole jacentem
 Qui colit *Albionem*: gelidi sic accola ponti
 Censet *Norwegus*: sic suffragante lapillo,
 Sentit Hyperboreo transmissus ab axe *Sisecus*,
 Hæc crisis, hoc fulmen, tonat hoc anathema per omnē,
 Tot populis quem facta gerit *Constantia*, cætum.
 Quare agite Imperij fortissima membra, verendi
 Ne Vos Concilij feriat censura, supremis
 Parete imperijs; ad tela, ad classica vestros
 Nunc reparate animos: stridentia pandite belli
 Limina & Heluetico Fridericum incessite ferro.
 Non expectatis vel sic respilcet ab armis.

Verùm nemo suo cùm militet ære, licebit
 Seruare obtentas, hypothecæ nomine, terras.
 Pignus erit, quod quisque suis comprēderit armis:
 Ut bello exhaustas hæc suppleat arrha crumenas.

Cæsareo sic charta quidem firmata sigillo
 Hortata est Patriam. Quid Natio nostra? quid Vrbes
 Fæderis Heluetici? Non ausæ obsistere tantis
 Concilij membris, tandem gelsere petitum
 Augusto morem: quasque hinc Mauorte Secundo
 Obtinuere plagas, justis hodieque tuentur
 Atque regunt titulis. *Arburgum*, *Arouia*, *Brugæ*,
Lenzburgum armifono vix expugnabile nimbo,
 Semperque irriguis *Zofinga* uberrima pratis,
 Fertile *surlacum*, spectatrix ardua *Rusæ*
Bremgarta, & lætis *Provincia libera* glebis,
 Cumque ferè inuictâ, *Mellinga* acerrima, *Badâ*
 (Lata quibus ditio, multis habitata colonis)
 Subiecere suas *Cantombus octo* secures
 Ausa quidem fuerant hæc Castra, hæc Oppida nostras
 Oppugnare acies, grandique resistere nisu;

Pro Duce supremas cùm mallent ferre procellas,
 Quàm violare fidem: sed dum vidère petitas
 Abfore suppetias. pronis quantocyùs ulnis
 Excepère nouos, sic fato urgente, Toparchas.

Consimilem secunda ferè *Turgoia* sortem
 Nobilis Heluetici prouincia pertulit agri.
 In quinto decimo jam Sexagesimus annus
 Currebat Seclò, cum rufus ad arma vocati,
 Ad bellum allecti, veteres tractare sariffas
 Capère Heluetij. Romanæ jura Cathedræ
 Rexerat antistes P I V S, hac ætate, secundus,
Æneis toti celebratus *Siluius* orbi.

Ille *Sigismundum* dum castigare laborat
 Austrum, ad Helueticas edictum destinat urbes
 Atque iterum offensæ tutari jura Sionis
 Imperat; & fortes verbis hortatur amicis,
 Instigatque viros, ut non tardante Minerua,
 Oppida ad affinem satagant obsidere *Duram*.
 Paret, & hortantem dum non vult spernere Papam,
Turgoie celebrem, legio capit Helueta, tractum. *b.*
 Sic *Frauenfeldam* sic *Dieffenhouium*; & urbes
 Sensim alias, rursumque alias fors prospera nostro
 Addidit imperio: sic suffragantibus astris,
 Corporis Heluetici compago æquissima creuit.

Ite modò Bauij, dentataque turba, Biones,
 Liuidi in hanc nostram, ceu mordax vipera terram:
 Ite, ac Barbaricæ, *Suicere* gentis, Erinny,
 Dauorumque acri Melibæorumque furori,
 Aut Erebi Diris, aut nescio qualibus æstris,
 Hoc titulo partas, posthac adscribite, terras.
 Majores nostros ad facta heroica natos,
 In tam difficiles, elapso tempore, pugnas
 Nec furor, aut cæco præceps audacia vultu,
 Nec limphata Thyas, nec Baccho agitata Mimallon
 Impulit; anguineos nec quæ redimita capillos
 Monstra, tenebroso saliant Plutonis ab antro.
 Sed rerum grauitas, sed candor & æqua potestas,
 Et vix extorti laudata modestia ferri.

At quibus in tenebris, aut quonammersa profundo

Nobilit-

Nobilitas antiqua jacet? Quis Turbo tot arces,
 Tot castra evertit? Quæuè implacata Charybdis,
 Atria fumosas passim ostentantia ceras,
 Ausa inter patrios fuit absorbere penates?
 Deucalionæ nunquid rediêre procellæ?
 Tecta tot ac turres num sæui immitior Euri
 Impetus? AEolijs num furtim excitus ab antris
 Corus, & ipse tumens flabris subuertit Orion?

Inter tam varias fortunæ mobilis ansas,
 Tot metamorphoses, tot fulmina, bella, tumultus,
 (Lex ubi febricitat, Canonesque premente Vacunâ,
 Iura ferè solis suprema petuntur ab armis)
 Non ibo inficias, durante hoc turbine, crebram
 Quin quoque nostra solo virtus æquauerit arcem.
 Litigiosa istum metimus post semina fructum.
 Nobilitas planè, quæ nostram excidere gentem,
 Sempaci ac Laupæ violento quæsiit ausu,
 Si glomeratim obiit, sibi balnea sponte parauit.
 Id belli lucrum est. Te nunc tria verba docebunt,
 Plexerit Helueticas quænam Rhamnusia stirpes.

Induperatorem postquam Ducis irâ Ioannis,
 Perculit Albertum, meritas exarsit in iras.
 Vxor, & enectum soboles conquesta Parentem.
 Flagitij confors erat Eschenbachius ipse
 Regulus, ac Palmae celebres, VVarthæque, Barones,
 Perperam in immanem persuasi à Principe culpam.
 Horum illustre genus, perq; arua, per oppida multis;
 Iura dabant populis: sed tam crudelis iniquam
 Criminis ob noxam, varias mors unica mortes.
 Intulit, & magnis fuit ultima linea rebus.

Quinquaginta olim Comites hæc prodiga tellus;
 Nutrijt, ac centum sexagintaque Barones.
 Nobilium, quos ordo simul decorauit Equestris,
 Stemmata si numeres, plus mille ducenta reuolues. c.
 Tanta hæc Nobilitas, tam illustria stemmata, quantam!
 Cæsaris, heu quantam, subiêre à cæde, ruinam!
 Infandum Regina jubes renouare dolorem,
 Vindictæ nimios dum laxas undique frenos.
 Horret charta stylum, calamoque inuita ministrat

Sepia. Per totam desæuijt Austria terram;
 Bacchata est Nemesis: perijt promiscua ferro
 Nobilitas, soluitque insons cum fonte patrati
 Crimina flagitij: prolapia quarta nequibat
 A tam funesto consistere tuta macello. d.

Qualis in Hercynios cum flamma erratica saltus
 Vel Boreæ furijs, vel moto immittitur Austro,
 Paruula principio solum stridentibus infert
 Prælia juniperis, humilesque aggressa genistas
 Ventilat, atque imi lambit virgulta fruteti;
 Viribus inde auctis, sensim se attollit, & altas
 Infestat piceas, ornosque laceffit & ulmos,
 Vertat in ardentem donec nemus omne fauillam,
 Sæuijt haud aliter vindictæ flamma, necisque
 Suspectos Proceres, & iisdem sanguine junctos
 Cæsariana phalanx funestas traxit ad aras;
 Implicuitque rotis, & stricto guttura ferro
 Messuit: exhaustâ donec tellure, supremum
 Alter in alterius captaret sanguine somnum.

Arcem Faruangæ (clarorum erat ista Baronum
 Regia) dum tragicum cupiunt vitare furorem,
 Haud pauci numero, fortunâ & origine clari
 Introiere Viri. Septus fuit aggere murus,
 Firma loci facies, ut territa turba salutem
 In tam munito non desperaret asylo.

Sed nec in arce salus: hæc quippe ut diruta telis
 Concidit Austriacis, clarissima stirpis auitæ
 Nomina, lugubres dant coram Principe pænas.
 Sexaginta ipsos ab equestri sanguine claros.
 Vnâ eâdemque die feralis mucro trucidat.
 Purpureum Reginâ ipsâ calcante cruorem.

Aliburæ castrum simul hæc intrauit Enyo,
 Hac quoque lethiferas vibrauit in arce secures.
 Quadraginta illic senique fuere reperti,
 Nobilium de gente Viri, quos rumor & ortæ
 Terror Adrasteæ, munita intrare coëgit
 Pergama, & exstructis firmata palatia vallis.
 Verum ibi deuictis, Leopoldi Principis ipsos
 Vindicis ante oculos, animam conductâ licetur

Atro-

Atropos: ac generis neglecto flore, feroci
 Quam libet illustres proscindit acinace fauces. e.

Funditus euerfas, cumque omni flore necatas
 Nec memorare domos, nec mens est scribere stirpes.

Illa tot arcigeris exulta *Argonia* cliuis,
 Nobilium verus, non casto nomine quondam
 Appellata sinus; tam claris inclita ceris

Atria, in abjectas, flagrante hoc impete, vidit

Degenerasse casas: vidit penetralia magnis

Culta prius Satrapis, fecisse cubilia brutis

Hospitiumque feris. Vidit plus mille ducentas

Expirasse animas; vel lethi horrore paternis

Migrasse hospitij, cæcasque hinc inde latebras.

Et magè securos alibi quæsisse penates,

Milite Teutonico perierunt integrâ passim

Oppida, cumque suis heu quantæ stirpibus arces! f.

Passa fuit tantam non sola *Argonia* stragem:

Turgoia fines eadem *Libitina*, pari que

Effera supplicio *Tigurinum* excurrit in agrum. g.

Pars igitur *Rheni*, pars ostia tendit ad *Istri*:

Pars nemorum salebras, pars deniq; nescio qualem

Migrat in *Vtopiam*: cupit unum anima omnis asylum.

Id quoniam *Helueticis* nusquam prostabat in oris,

Pleraque *Nobilium*, tam ingrato territa lessu,

Territa funeribus, truculenti *Væjouis* iræ:

Cedere, & unâ alias cœpit captare tabernas.

Discet posteritas, nimis esse potentia magnis

Brachia Principibus: discet quàm enorme piâclum,

Quàm grauis ac quantæ sit culpa obnoxia pænæ,

In diadematos mucronem stringere Reges,

Tu bona Nobilitas, ni mens tibi læua fuisset,

Iam quoque floreres, Patriæque arx plurima stares,

Addere plura piget. Tibi nunc responsa licebit

Heluetiam exosis formare *Theonibus*, & sic

Hipponactæas aliorsum inflectere sanas.

Sæuierit, biliq; omnes laxarit habenas

Austria; si fines hodieque reuisat ad istos,

Dicere sic poterit. Quidnî fecunda fuère,

Quæ tam multiplicem pepererunt, vulnera messem!

Bel-

Bellum Lerneæ nimirum indiximus hydræ.
Nobilitatem omnem dum ferro nuper & igni
Perdere, in Helueticis passim decreuimus aruis,
Nobilitate auctas jam fulgere cernimus Vrbes.

A. Guillim. l. 3. c. 18. Stettler l. 3. à f. 110. Simler. f. 269.
& seq. Grasser. f. 92. B. Guill. cit. Stettler l. 4. f. 181. Simler.
f. 161. & 279. C. Grasser. f. 12. Guill. l. 2. f. 291. qui f. 242.
scribit, Nullam nationem aut regionem plures Nobiles
aut præstantiores Heluetiâ protulisse, imò quic-
quid veræ & antiquæ Nobilitatis in Sequanis & Ger-
maniâ est, Heluetios suppeditasse, & inde euenire.
D. E. F. Guillim. l. 2. c. 15. 308. & 309. G. Stettler l. 1. f. 36.

V.

ARGUMENTVM.

INter egregia Heluetiorum facinora; sempiternâ quoq; memoriâ dignum est generosissimum illud, sed & maximè cruentum prælium, Anno 1444. ad Diui Iacobi, in Basileæ suburbano pugnatum. Cum enim Gallie Delphinus (Ludovicus postmodum XI.) tempore Consilij Basiliensis in Germaniam allectus, cum ingenti Gallorum Britannorumq; militum exercitu, Helueticos fines depopulabundus inuasisset: à modica nostratium manu non semel inuasus, ad Pratelans ac Muttecium casus, & trans Birsam, heroicâ fortitudine repulsus, palmam & militem propemodum omnem, ad LX. millia ab aliquibus censum, perdidisset; nisi aliæ atq; aliæ semper copie, Exercitui iam labanti, iteratas suppetias tulissent. Heluetiorum erant circiter 1500. vel 1600. gloriosa morte, in suo & hostium sanguine, potiolem partem, defuncti. E quibus pauculi residui, posteaquam è clade domum sunt reuersi, ac si minùs generosè dimicassent, vitâ ipsâ sunt periclitati.